Pro Quodlibetaria

Disputanda In Scholis Medicorum die Jouis 13ª Nouembris. 1540

Praeside doctissimo Joanne Maillard Doctore Medico.

Quaestio Medica.

An Morbos Experimentis, et Ratione Medicina oppugnat?

Medicinae scopus est sanitas, quae si adest, similibus tuetur. sin abest, morbosum excessum detractione, defectum appositione corrigit: praesentium morborum augmentum prophylactica ope prohibet: futuros sola prospectrix praecavet, causam summovendo: ex qua non solum si interna est, sed aliquando externa providentias, ex reliquo praeter naturam affectu, curationis per contrarium indicatio desumitur.

Contrariam remediorum speciem perspecta affectus natura insinuat. unde in morbo simplici curationem Medicina auspicatur. in affectuum complexu urgentioris magnitudini primum occurrit. At si nihil eiusmodi est, suam singulis affectibus suo ordine contrarietatem opponit. in pugnantium vero indicationum concursu contraria remedia modo impari miscet, potentioribus sic obediendo ut reliquas non negligat.

Disparem immutat contrarietatis modum pro virium robore, morbi magnitudine, aetate, totius vel partium temperie, positu, sensu, habitudine, officio, causis denique; aeris et temperierum immutantibus praescribit. Et eundem modum pro instrumentalium forma, figura, et sede affecta praecipit. Eosdem aegrotorum occasiones (quae in morbis admodum praecipua est) ex morborum temporibus, et aegrotantis viribus prudentissime coniectat.

Ergo incipientibus phlegmonis parti affectae primum prospicit: ab ea quibus potest modis retrahit, derivat, repellit, si nobilior est: sin minus potius attrahit, nisi quid impediat. increscentibus, vel consistentibus, astringit, relaxat, emollit. inclinantibus nisi partis officium obstet, tantum relaxat, vacuat, tum hoc tempore, tum per initia, remedii vacuantis delectum faciendo, ex humoris natura, inclinatione, et reliqua indicatione desideat.

Experientia et ratione velut gemino crure subnixa Medicina aetatem, corporis temperiem, et reliquum corporis affectum logica ratione dividit. Morborum naturas tempora et magnitudines explorat: particularum substantias, et alia indicantia examinat: quorum admonitu non solum praesidia (quae experientia normae vice comprobat) sed convenientem eorum qualitatem, quantitatem, modum, tempus, et ordinem invenit, si manifesta qualitate agant: sin occulta, nullum in his inveniendis locum rationi relinquit.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Morbos Igitur Experimentis, et ratione Medicina oppugnat.

Valentinus Hieraume deffendet 1540.